

**1350-1350- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Montepessulanum Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis celebrati apud Montepessulanum  
 anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · L<sup>o</sup> ·

**Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: et per totam hebdomadam, addatur: et ad credo in missa ad: ex Maria virgine et homo factus est; et istud medio tempore observetur et radatur de loco, ubi inclinari solummodo mandetur.

Item. Quod de sancta Elisabeth tres lectiones per totum ordinem fiant, et magister ordinis de officio providebit.

**Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: unus de fratribus electoribus de qualibet provincia, qui in provinciali capitulo ad hoc electus fuerit, ad diffinicionem pariter cum aliis admittatur, addatur: quod si ad capitulum non venerit, tunc elector alius valeat diffinire. Et hec habet · ii · capitula.

**Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: ante tres annos ad minus, addatur: et si fuerit predicator generalis, dicto officio sit privatus. Et hec habet · iii · capitula et in constitutionibus in dicto capitulo annotetur.

Iste sunt ordinationes et admoniciones.

Prioribus provincialibus ac eorum vicariis in virtute sancte obediencie, precipimus ac sub pena absolucionis ab officiis eorundem imponimus, quatenus penitentiam in nostris constitutionibus taxatam comedentibus carnes extra conventum cum secularibus, et eadem sine licencia equitantibus, cum eis constiterit, faciendam imponant, super quo quantum ad inquisitionem eos esse diligentes volumus; quam penam si facere recusaverint, ipso facto sint voce privati et per superiores suos aliis conventibus assignentur. Si quis autem frater equitaverit vel equitaturam quamcumque habuerit, nisi sit confessor regum aut principum aut socius prelatorum aut inquisitorum, ubi est consuetum, ipsam vendere infra quindenam a noticia presencium habeat, alioquin ipsam equitaturam vel precium eius provinciali sue provincie et diffinitoribus capituli provincialis applicamus, quas sibi restituere non valeant vel donare sub eodem precepto districtius iniungentes; nec volumus, quod fratres et maxime iuvenes ad equitandum licenciari possint, nisi necessitas hoc requirat.

Item. Volumus et ordinamus, quod nec magistri in theologia nec quicumque alii legentes in ordine in aliqua facultate in principiis suis pictancias aliquas faciant, nisi magistri unam solam in die aule sue, alioquin officio sint privati. Volumus autem, quod in predictis diebus secundum facultatem domus commodius ipsi habeantur a conventu. Predicti autem legentes lectiones suas continent usque ad festum apostolorum Petri et Pauli, et in festo s. Martini ad tardius incipiant, et quicumque de lectione cuiuscumque defuerit sine eiusdem licencia, eadem die extra conventum licenciari non possit.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres itinerantes litteram testimonialem de causa vie sue mencionem facientes expresse secum portent et presidentibus in singulis conventibus presentent, nec locum, ubi conventus est, (non) transeant nec in villa comedant aut iaceant, nisi de licencia prioris conventus eiusdem; quam eis dari nolumus sine causa necessaria et urgente. Alioquin in virtute sancte obediencie precipimus prioribus conventuum predictorum, quatenus ipsos habeant arrestare, quousque penitentiam gravis culpe fecerint; quam si ferre recusaverint, omni voce sint privati ipso facto. Magistros autem in theologia, provinciales, eorum vicarios aut lectores sollempnes vel bacalareos aut predicatores generales aut priores conventuales, maxime infra provinciam suam, ad portandum tales litteras nolumus obligari.

Item. Quod quicumque frater solus extra conventum discurrerit aut sine licencia sui superioris eciam cum alio fratre discurrerit, noverit se gravioris culpe penam incurrisse, quam sub precepto sancte obediencie per presidentem, in cuius terminis repertus fuerit, facere compellatur; quod si manus suas evaserit, priori provinciali denunciaret, ut, quod per eum fieri non potuit, per alium suppleatur.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie, quod in singulis conventibus ordinis infra mensem a noticia presencium presidens una cum tribus antiquioribus de conventu omnes fratres sibi subditos habeat convocare, et de strictura manicarum et de botonis eciam infra manicas non portandis, quantitate capuciorum, cappe secundum formam honestam habeant ordinare; quod si formam ab ipsis datam de predicto habitu non correxerint aut ipse presidens non correxerit in se ipso aut portaverit quantum ad vestes novas et antiquas, ipso facto voce privati sint etc.

Item. Serenitati et securitati conscienciarum fratrum providere volentes, omnia et singula precepta generaliter vel singulariter facta in quibuscumque provinciis vel conventibus tam per priores provinciales quam conventuales et ipsorum vicarios simpliciter revocamus. Volumus tamen, quod priores provinciales in suis capitulis provincialibus sub penis privacionis vocum et aliis consimilibus ordinationes suas et prohibiciones faciant, et easdem sub eisdem penis priores ipsi tam provinciales quam conventuales faciant sedulius observari.

Item. Volumus et ordinamus, quod, nisi sit magister in theologia, postquam frater aliquis quatuor annis continuis lector in eodem conventu fuerit principalis, a dicto lectoratu sit ipso facto amotus, et alius loco ipsius ponatur ibidem.

Item. Mandamus et imponimus, quod magistris actu legentibus Parisius et in provincia Anglie ac bacalareis actu utrobique legentibus, et magistro studencium et biblicis actu legentibus de provincia Francie et Anglie, nacio sua seu visitacio magistro actu regenti habeant · xx · florenos, et aliis · xv · florenos annuatim pro suis necessitatibus ministrare. Et volumus, quod priores provinciales ordinent, quod conventus huiusmodi nacionis non equaliter persolvant, sed secundum conventuum facultatem.

Item. Constitutionem, quod priores et lectores in capitulis provincialibus visitatores non ponantur, volumus inviolabiliter observari.

Item. Ordinationem anni preteriti de clausura monasteriorum sororum ordini subiectorum, de non mendicando, vel procurando aliquod officium infra ordinem per personas seculares, et de non litigando in iudicio exteriori, cum penis appositis innovamus, inhibentes, quod quicumque frater pecuniam aut iocalia teneat in manu cuiuscumque secularis seu cuiuscumque persone extra obedienciam ordinis constitute, quod si infra octo dies aliquis inventus fuerit, in hoc deliquisse, predicta omnia prioribus provincialibus applicamus; quibus in virtute sancte obediencie precipimus, quod eis talia remittere aut reddere non presumant<sup>1</sup>.

Item. Volumus et ordinamus, quod quicumque frater amocionem alterius fratris de conventu procuraverit per manus secularium aut personas exteriores, titulo sedicionis vel prodicionis vel quovis alio scandalo, pene subiaceat gravioris culpe, quam facere per priores provinciales vel conventuales, cum eis constiterit, compellatur; quibus in virtute sancte obediencie precipimus, quod eos compellant facere penitentiam antedictam.

Item. Volumus et ordinamus, quod in singulis conventibus non sint ultra quatuor loca ad comedendum, et quod regulariter ad minus media pars conventus comedat in communi refectorio omni die, quod sit prior vel supprior semper presens, nisi causa valde urgens et necessaria obviaret.

Item. Omnes gracias magistri ordinis exemptorias a choro et refectorio et de cameris tenendis in sanitate, et de exeundo conventum sine licencia speciali presidentis, expresse et simpliciter revocamus, eciamsi dicatur ibi, quod talis gracia non possit revocari, nisi expressa et specialis mencio fiat de eadem.

#### **Iste sunt declaraciones.**

Declaramus: In capitulo de domibus construendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno propter fratrum obitum dictus numerus fuerit diminutus etc., intelligitur ille annus propter pestilenciam communem preteritam, quousque per fratrum ad ordinem receptorum multitudinem sufficientem tantus possit reparari defectus, ad quod provinciales dare volumus operam efficacem.

Denunciat magister ordinis fratribus universis, quod pro toto tempore magisterii, quo (fuerit) in officio contigerit eum esse, quod (per) gracias de successione bonorum fratribus quibuscumque datas, concessisse vel concedere non intendit; quod aliquis alteri nisi in libris tantum succedat, nec in illis ultra valore · xl · florenorum; et hoc solummodo quoad usum, hoc adiecto, quod de omnibus rebus fratris decedentis quartam partem ille conventus percipiat, qui pro eodem fratre ad suffragia erat obligatus, necnon propter quamcumque assignacionem suam factam aut faciendam in nullo intendit derogare constitutionibus domini nostri pape.

Transferimus ad terminos provincie Provincie villam, que vocatur Columbarium, sitam in terminis provincie Francie in diocesi Viennensi.

Concedimus duas domos provincie Provincie ponendas in locis, de quibus videbitur priori provinciali.

#### **Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus priores conventuales Aquensem, Albinacii, Podii Cerdani, Barchinonie.

Item. Absolvimus priorem Ruppellensem de provincia Francie in penam.

Item. Absolvimus priorem Londinarum provincie Anglie.

Item. Absolvimus priores provinciales Saxonie, Terre sancte<sup>2</sup>, Tholosanum et provincie Francie, ad eius requisiciones et instancias importunas.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti non resumantur ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno.

Ponimus vicarium in provincia Tholosana fr. R. de Duroforti, priorem Prulliani, donec prior provincialis sit electus et confirmatus, et presens extiterit in eadem.

Ponimus vicarium in provincia Francie fr. Bartholomeum de Anxiaco, magistrum in theologia<sup>3</sup>, donec prior provincialis sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Ponimus vicarium in provincia Saxonie fr. Corradum de Alberstat<sup>4</sup>, magistrum in theologia, donec prior provincialis electus sit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

#### **Iste sunt instituciones.**

Fratrem Petrum de Clarenis de provincia Aragonie absolvimus a prioratu Balagariensi et instituimus et facimus eum priorem provincialem in provincia Terre sancte.

Item. Facimus vicarium in eadem provincia fratrem Iacobum de Montichare.

Item. Instituimus et facimus priorem provincialem in provincia Grecie fr. Iohannem de Como de provincia Lombardie superioris.

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 328 l. 32 sqq.

<sup>2</sup> Cf. supra pag. 324 l. 12.

<sup>3</sup> De fr. Bartholomaeo de Anxiaco cf. ibid. l. 30.

<sup>4</sup> De fr. Conrado de Halberstadt cf. supra pag. 283 l.14.

Item. Facimus vicarium fr. Nicholaum Ceca, priorem Candie, donec prior provincialis presens extiterit in eadem.

**Iste sunt assignaciones.**

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno immediate sequenti fratrem Iohannem de Siaco de provincia Francie<sup>5</sup>.

Item. Pro anno immediate sequenti, quantum nostra interest, fratrem Bartholomeum lectorem Argentinensem de provincia Theutonie<sup>6</sup>.

Assignamus lectorem in conventu Montispessulani fratrem Guilielmum Grossi, magistrum in theologia<sup>7</sup>. In conventu Barchinone fr. Nicholaum Rosselli, magistrum theologie<sup>8</sup>. Ponimus ibidem ad legendum sentencias fr. Iacobum Mathei de eadem provincia. Item. Ponimus lectorem in conventu Tholosano fr. Aymericum de Magriano<sup>9</sup>. Ponimus ibidem ad legendum sentencias fr. Heliam Raymundi<sup>10</sup>. Item. Ponimus lectorem in conventu Salmantino de provincia Hispanie fr. Alphonsum de Piramo. Item. Ponimus lectorem in conventu Coloniensi fr. Henricum de Hunnis, magistrum in theologia<sup>11</sup>.

Absolvimus priorem Saonensem, fr. Iacobum de Vigono, et ponimus eum lectorem in conventu Mediolani<sup>12</sup>. Item. Ponimus lectorem Londini de provincia Anglie fr. Thomam Hopenian, magistrum in theologia.

Item. Ponimus lectorem in conventu Magdeburgi de provincia Saxonie fr. Conradum de Alberstat, magistrum in theologia<sup>13</sup>.

Item. Ponimus lectorem in conventu Budensi de provincia Boemie fr. Martinum Glottovenk.

Item. Ponimus ad legendum sentencias in conventu s. Dominici de Neapoli fr. Laurencium de Anza de provincia regni Sicilie. Item. Ibidem pro magistro studencium fr. Philippum de Nuxeria de eadem provincia.

Committimus magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, baccalareis, magistris studencium et biblicis provideat, secundum quod iudicaverit honestati ordinis expedire.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus frater, cuiuscumque condicionis et status existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine magistri ordinis licencia speciali; de qua per litteras eiusdem magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem; et in curia procuratori ordinis eandem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam iuridice excommunicationis late sentencie ipso facto noverit se incurrisse; quam sentenciam magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem sibi soli retinens et reservans.

Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit eciam magister ordinis provincie Provincie vel vicario provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipse cum diffinitoribus sui provincialis capituli modum inveniant, per quem refrenato discursu illius provincie ad curiam formam statuunt, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit fratres suos ad dictam curiam; quam ordinationem teneatur provincialis vel vicarius provincie et diffinitores absque dilacione magistro ordinis mittere, ut ipse modifictet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi a magistro ordinis quibuscumque concessam revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu.

Concedit tamen magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderit expedire.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in Castris provincie Tholosane; et ordinamus, quod diffinitores, qui futuro anno diffinient, illuc dominica infra octavam ascensionis domini veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante feriam · vi · vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque autem venerit absque licencia ad capitulum generale, sit ipso facto voce privatus et penam culpe gravis facere teneatur.

Noverint universi fratres, reverendum patrem magistrum ordinis sequentem ordinationem fecisse et nobis per speciales litteras destinasse presenti statuto videlicet: in virtute s. obediencie precipio fratribus universis et singulis ordinis nostri ipsosque moneo pro primo, secundo et tercio, ne aliquis per potestatem aliquam secularem,

<sup>5</sup> De fr. Ioanne de Siaco cf. supra pag. 330 l. 3.

<sup>6</sup> De fr. Bartholomaeo de Bolsenheim cf. DENIFLE l.c. pag. 659.

<sup>7</sup> De fr. Guilelmo Grossi cf. supra pag. 319 l. 18.

<sup>8</sup> De fr. Nicolao Rosselli cf. supra pag. 330 l. 13.

<sup>9</sup> De fr. Aymerico de Magriano cf. DENIFLE l.c. pag. 659.

<sup>10</sup> De fr. Helia Raymundi cf. DENIFLE l.c.

<sup>11</sup> De fr. Henrico de Hunis cf. SSOP. I, 649; DENIFLE Archiv II, pag. 223.

<sup>12</sup> De fr. Iacobo de Vigono cf. DENIFLE l.c. pag. 224.

<sup>13</sup> De fr. Conrado de Halberstadt cf. supra pag. 336 l. 20.

litteras aut aliam viam qualemcumque directe vel indirecte, mediate vel immediate mutacionem aut revocationem fratris aut fratrum de conventu ad conventum sive de provincia ad provinciam aut citacionem, vocacionem ad presenciam cuiuscumque secularis persone aut impedimentum cuiuscumque ordinacionis prelatorum ordinis procuret. Omnem vero oppositum facientem ex nunc pro tunc prefata trina monicione previa seu premissa excommunico in scriptis de diffinitorum unanimi consilio et assensu, quam quidem sentenciam quemlibet talem volo incurrere ipso facto, cuius sentencie absolucionem michi et solis provincialibus retineo et reservo.

Datum in nostro capitulo generali in Montepessulano anno domini · m · ccc · quinquagesimo.

Expliciunt acta capituli generalis apud Montepessulanum celebrati anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · l<sup>o</sup> ·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCIII.